

1719.

1. Bastineller, Gels. Christ, Ordin. Fecorum . . . Decanus :  
l. b. s. p. d. (ad disputationem solennem Johannis  
Gottfriedi Vogelii inuitat)  
<sup>34236</sup>
2. Bastineller, Gels. Christ: De medico ex voluntate  
aegroti perperam curante. 3 Exempl.
4. Bergerus, Christ. Henricus: Lectorum benevolentiam  
ad orationem, quae professionem institutionum  
juris civilis. . . auspiciabitur . . . inuitat
- 5<sup>a</sup> <sup>2</sup> Berger, Christ. Henricus: De praescriptione  
iurum aliorum. 2 Exempl.
6. Bergerus, Fr. Gottfriedus: Rector academiae Witten-  
bergenis. . . circa academiam ad Dique ce-  
lebrantem natalem domini nostri Iesu Christi. . .  
inuitat.
7. Behn, Joh. Gualter: Simulationem religionis  
ipso iure naturae illicitam . . . obstruend.
- 8<sup>a</sup> <sup>2</sup> Hoffmann, Christianus: De cessionibus iudicialibus

et contra iudicialibus eorumque differentia

2. Sampl.

Keffner siehe nr. 10 b

9. Loescher, Mart. Fuch.: Animum creatis rebus

Aliis falso et vero adscriptam homini eminentia  
competere . . . dependet.

10. Loescher, Mart. Fuch.: Dissolutio . . . de mundi,  
opinionibus et sententiis exhibens

11. Meuschen, Gtfr. Ludw.: De variis feudorum  
diversionibus

12. Meuschen, Gtfr. Ludw.: De renovatione  
investiturae et vinculo obligationis, quo  
dominus et vassallus invicem obstringuntur.

13<sup>te</sup>/<sub>2</sub> Meuschenius, Gtfr. Ludw.: Janam de  
jure principis evangelici circa divortia  
doctrinam . . . proponet 2. Sampl.

14<sup>a</sup> 26  
= Menckenus, Gasp. Theod.: De rescriptis vnde ambrosius  
veritatis ex tunc et ex nunc. (supra et infra).  
2 Exempl.

15. Reimerus, Hermann Samuel: Viriortalis schedae s.  
mibi si Machiavellicus inter Machiavellos  
praemissas.

16. Spener, Jacob. Carol.: Fundamenta fidei publice  
habetur in ceterisque quae ad hunc semper habi-  
turus est praedicationis --- insidit et commentat

17. Spener, Jacobus Carolus: publicus in Jh. Cucciji  
hypomnemata juris feudalis reputationis  
insidit et commentat

18. Spener, Jacob. Carolus: De tacita remissione  
feloniae.

19. Wember, Jo. Balduus: De ditione juridici. . . .  
Secamus: Ceteri venerunt s. p. s. (ad Nipa-  
latium solummodo Ceteri. Faverii Michaelis

instit.)

26. Wender, Fr. Balthasar, Ordinum juris  
Decanus: Libri benevole S. p. d. (ut Disp.  
salutem salutem Fr. Hassii Brunsvici  
instit.)

27. Wender, Fr. Balthasar: De cerebri certitu-  
dine corporis selecti.



1377.

22

1719 17

IACOBVS CAROLVS SPENER  
IVR. D. ET P. P.  
P V B L I C A S  
IN  
ILL. COCCEII  
HYPOMNEMATA  
IVRIS FEVDALIS  
DISPV TATIONES  
OFFICIOSISSIME  
INDICIT ET COMMENDAT.

Z



JACOBUS CAROLVS SPENER  
IVR. D. P. R.  
P. R. I. C. A. S.  
I. N.  
I. L. L. C. O. C. C. E. N.  
HYPOMNEMATA  
IURIS PRAEDIALIS  
DISPUTATIONES  
OFFICIISSIME  
IMPRIT ET COMPOSITA





**N**emo est, qui nesciat, sacratissimi nexum imperii feudalibus inniti rationibus. Quam certo autem bona imperii pleraque sunt feuda, tam plane tamen inter se differre imperii feuda, & provincialia beneficia, hodie fere tralaticium est. Postquam territoriali superioritate instructi sunt nostri principes imperiique ceteri status, tanta coepit imperialium feudorum dignitas libertasque assurgere, vt non tam ad vulgares beneficiorum rationes, quam ad solam necessariam nexus imperii conseruationem videatur attendendum esse. Quod ergo communium feudorum legibus inaudirum est, principes in feudis suis imperialibus vere omnia possunt, modo non ex facto ipsorum imperii turbetur, conuellatur, aut violetur nexus, nihilque contra imperatorem imperiumque statuatur. Quas vnica conditiones esse puto, quibus cetera liberi atque arbitrio suo relictis obseruandis adstricti sint, & contra neglectis laesisque, feloniam ab ipsis commissam videatur incursari posse.

Equidem hisce omnibus in certo positis, dubito tamen, an summa illa statuum imperii in feudis libertas eo in regula protendenda sit, vt omnino de successione disponen-

nendi foeminisue eas relinquendi plena gaudeant facultate? Negant istud communes feudorum regulae, sed ideo negant, quia dominicae gratiae maxima inde nasceretur iniuria. Ratione hac in nostris imperii feudis cessante, ob certam horum, & prouincialium feudorum differentiam videbatur quaestio modo proposita recte a quibusdam affirmari. Quo accedit, quod prouocetur passim ad Henrici VI. priuilegium, quo concessio promiscuae imo vere hereditariae atque allodiales factae sint in imperii feudis successiones. Quam ipse toties suspectam habeo doctrinam, quoties imperii atque prouincialia feuda inter se comparari & conferri video, tam prope facilis forem affirmanti huic sententiae accedere, ne similia diuersissimorum beneficiorum imperii feuda habenda forent. Sed iustissimis causis apparentibus in diuersum ire, & cum negantibus facere re magis expensa mihi modo est constitutum.

Non negatiuam mihi sententiam plane persuasere siue Longobardicae feudales, siue solae Germanicae prouinciales leges. Illae illustrare quidem causae statum, hae omnino instruere, adeoque non incommode allegari poterant. Sed instituti limites multis allegandis legibus non sufficiunt. Mouerunt me potius aliae magnae atque idoneae, ac expenitissima imperii nexus indole depromptae rationes, ut imperii feuda successio[n]um ratione in regula pro feudis ex pacto & prouidentia maiorum dependentibus habeam. Henrici VI. priuilegium, siue fictum siue verum, nihil ad tuendam contrariam sententiam reperi facere. Ceterum tantum scio abesse, ut ex doctrina mea quicquam de dignitate libertateque imperialium feudorum decedat, ut potius isti maxime conseruandae, & propagandae natam & comparatam esse liberarum successio[n]um restrictionem, audacter contendam atque asseuerem.

Sci-

Scilicet remouimus causam illam, quasi ex libertate successio-  
num dominicae gratiae dominicoque arbitrio fieret  
iniuria. Nihil huius rei quadrat in liberrima feuda impe-  
rii. Verum enim vero alia multa sunt, quae constringere  
iusserunt successio- & dispositionum de istis libertatem.  
Foemina finis est familiae, nouaeque quodammodo initium.  
Imperii feuda serenissimis gentibus concessa, vt in illis du-  
rarent, & perpetuorum decorum illis praestarent occasio-  
nem. Igitur in regula foeminarum in successio-ibus illu-  
stribus habita ratio nulla est. Vel proxima foeminae  
semper exclusae. Remotissimi agnati admissi sunt. His  
ex prima feudi constitutione certum ius acquisitum erat.  
Illud eis vlllo modo adimere, id vero esset contra dignita-  
tem, libertatemque statuum imperii pugnare ac peccare.  
Accedunt officiorum feudis olim iunctorum rationes. Ho-  
rum incapaces inter Germanos semper foeminae reputatae.  
Seruitia loco foeminarum alii praestare poterant, indeque  
a minoribus feudis, licet militaribus non prorsus sunt quan-  
doque & quibusdam in regionibus foeminae exclusae. Of-  
ficiis ipsos principes viros fungi voluerunt maiores nostri.  
Vicarium foeminae admittere habebatur inconcinnum &  
prope nefas. Ergo maxime summa imperii feuda nimi-  
rum electoratus solis viris assignantur. Quae maior im-  
perii dignitas, quae potentia, quae libertas, quam electo-  
rum? His igitur ipsis adempta libertas relinquendi filiabus  
successionem, aut eam in alios ex arbitrio transferendi, sa-  
tis ostendit, solius decoris imperii, & serenissimarum gen-  
tium gratia, generatim & regulariter illa constituta esse.  
Quae vtraque ratio post electoratus quadrat in principatus.  
In imperii comitatibus non minus officia superioritatis ter-  
ritorialis fundamenta sunt. Vnde & conseruandae digni-  
tatis studium recte ad illos extenditur, & respectus officio-  
rum comitatus longe etiam magis masculinis feudis adscri-  
bit.

bit. Exstincta etiam penitus gente, dignum visum ipsius imperii maiestati consulere. Exiguus admodum foret imperii nexus, si nulla spes foret reliqua, vt quandoque feuda imperii aperirentur, aliaeque antiquae gentes, aut accessione feudorum, aut per merita in imperium nouae illustres gentes vacuefactis feudis ornari possent. Spes haec praeter reliqua non parum coniungit imperii membra. Si liberae essent promiscuae successiones, & de iis dispositiones, oppido exigua principum in imperium foret fiducia, & ineundi gratiam imperatoris & imperii parca futura mens & solertia. Quae omnia suasere constringendam promiscuarum successio-  
rum libertatem, vt partim decori, dignitatisque celsissimarum gentium, partim officiorum reliquis rationibus, partim vero imperii nexui, gratissimaeque inter status amicitiae statuendae prospiceretur & consuleretur.

Ergo successio-  
rum ratione in regula feuda imperii per dignissimas rationes esse feuda ex pacto & prouidentia maiorum, ita vt supra postulauimus, nunc euicimus. Sic antiquissima tempora nos docent; sic recentius aeuum crebris exemplis & praeiudiciis nos instruit. Verum frustra-  
ne, inquis, fuit Henrici VI. priuilegium, nihilque *de* de accessit promiscuarum liberarumque successio-  
rum libertati? Nihil omnino. Frustraque adeo Henrici priuilegium, nisi prorsus confictum & commentitium est. Sed breuius totum illud negotium collustremus. Henricus VI. imperator, confidens, ambitiosus, callidusque princeps, haereditario iure imperatoriam dignitatem genti suae voluisse vindicare perhibetur. Meruisse eum ferunt haud pauco-  
rum principum, quos crebrarum turbarum, quas passim discordes electiones dederant, dudum raedit, consensio-  
nem & suffragia. Placuisse scribunt additas condiciones, quas Geruasius Tilberiensis, coaeuus prope scriptor, has  
fu-

fuisse dicit; (a) ut militiae more Gallorum & Anglorum successione iure deuoluerentur ad proximiores cognationis gradus, cum antea magis penderent ex principis gratia. Johannes Monachus S. Vincentii infidis narratibus minus probabiles hasce condiciones adiungit (b) praeter Siciliam vtramque imperio addictam ordinauisse Henricum, ut mulieres masculis deficientibus succederent in haereditatem, & ne imperator manus mortuas ecclesiasticarum personarum vltra expostularet. Addit, Constitutioni huic profuturac consentit curia Romana, & principes LII. qui imperatorem eligere consueuerunt, quorum sigilla literis super hoc confectis sunt appensa. Re ita propemodum transacta narrant quidam, vehementer intercessisse Saxones. Quae eorum contraditio teste Gobelino Persona & Chronico quodam Halberstadiensi (c) effecerit, ut imperator principes illos a promisso absoluerit, & iuramenta ea occasione praestita relaxauerit. Geruadius Tilberiensis (d) conuentionem pridem cum principibus Teutoniae factam ab Henrico de successione imperii per Sanctissimum Papam Innocentium cassatam esse, scripsit: tum, quia ius eligendi principibus ademptum per hanc fuit; tum, quia permutatio beneficiorum damnosa fieri posset imperio, tum, quia si filius paruulus, aut minus discretus, iure successione imperium vindicaret, pendente aetate imperfectae consilio totius imperii ruina immineret; tum, quia ius Romanae Ecclesiae circa confirmationem imperatoris, ac consecrationem, aut reprobationem pateretur diminutionem. Et hic integer frequenter decanati negotii habetur ordo, qualem, ut omnino, quicquid in re tota videretur esse probabile, commode adpareret, bona fide instruxi, congeffi & exposui.

Vi-

(a) in *Ortiis Imper.* p. 943. (b) in *Chron. M. Belg.* p. 205. (c) Gobel, Persona *Abt. VI.* cap. 61. & *Chron. MS. allegatum in Gundlingianis P. III.* pag. 226. & passim alibi. (d) *Loc. cit.* cui fere adstipulatur ipse Papa Innocentius III. in *Epist. XXIX. ad Germ. principes.*

Videamus nunc breuibus, quid in proposita causa inesse videatur siue ficti, siue veri. Fateor primum, re sub curatio examina reuocata, haud multum me abesse ab opinione, vt negotium totum confictum, & ex fallaci vagaque fama descriptum ab auctoribus iudicem. Vnde enim tantus dissensus scriptorum, nisi quod vagis vanisque inniterentur rumoribus? Alter attulit non improbabiles conditiones, quae tanti tamen aegre visae, vt per eas imperium haereditati addiceretur. Contra conditiones ab altero allatae prorsus imperii rationibus sunt aduersae, adeoque aegre in mentem imperatori principibusque venerint. Quid noua Siciliae cum imperio coniunctio narratur, cum longe antiquius, certiusque huius in illam ius nostrae loquantur historiae? Papa probasse negotium & confirmasse ab altero fertur. Alter negat rem Papae placuisse, & asseuerat irritam statim declarasse, postquam de ea rescuerit. Iohannes memorat LII. Principes, qui eligere imperatorem consueuerint, quorum sigillis literae fuerint munitae. Godefridus Saxones intercessisse scripsit, quod reliqui siluerunt. Plures prorsus toti negotio renunciaisse Caesarem & omnes principes affirmant. Solus Iohannes rem quasi transactam & absolutam memorat. Ceterum vnde hi soli, partim recentiores auctores de facto hoc edocti rem narrarunt, cum tot insignes auctores alii, qui Henrici VI. historiam optima fide nobis dederunt, & magis temporis illius sunt aequales, (e) ne fando quidem de istis conatibus Henrici aliquid acceperint, adeoque nihil omnino rerum harum memoriae posterioritatis tradiderint. Quae simul omnia dubio vt inter se conciliari, firmaque veritas narratibus adeo male cohaerentibus tuto fidi valeat.

Demus

---

(e) Otto de S. Blasio, Vrspergensis Abbas, Godefridus Mon. Arnoldus Lubec. & alii plures.



Demus vero, aliquid veri subesse sub hac tota narratione; quid quaeso illud fuerit? Sane nil minus, quam quod passim laudatur. Ponamus non concedamus, Henricum haereditarium affectasse imperium. Cum quibus quaeso de causa hac egerit? quas videatur proposuisse, uti potiretur votis, condiciones? qui demum euentus exitusque consiliorum fuerit probabilis? Cum Papa deliberala re Caesari conuenisse, prorsus nego. Innocentius Papa parum Caesari amicus, potentiaeque eius non parum inimicus & prope hostis fuit. Geruasius clarissime docet, rem statim a sanctissimo Papa irritam declaratam esse. Ergo fallitur prorsus Johannes, nisi consensum Romanae curiae de mortuarum manuum, quam tunc simul factam esse memorat, renunciatione tantum interpretari placuerit. Geruasius ait, impetrasse Henricum a *subditis*, ut cessante prisca palatinorum electione imperium haereditario iure possideret. Quinam hi subditi? Puto, non alii quam Sueui, Francique, quorum Henricus dux territoriique dominus fuit. Fortassean vagae famae aut omnino fabulae origines inter tot obscura nunc discernere valeamus? Scimus ante illa tempora in Germania integra, maxime vero in Sueuia & Franconia, simultaneam, quam adpellant, inuestituram in ipsis maioribus feudis vsu receptam fuisse, & ita magis quam postea ex principis gratia successiones pependisse. Fortassis legem in Sueuia, Franconiaque instituit Henricus, ex qua remitteretur istius simultaneae inuestiturae necessitas, & iure sanguinis darentur successiones. Vtiliter beneficio vsi Sueui simultaneae inuestiturae libenter renunciarunt. At ut gratiam rependerent imperatori, conati

B

for-

fortassis haereditarium ipsi tradere imperium. Con-  
senserintne vnus alterque palatinorum, quos Geruafius  
appellat, nec ne? illud incertum. Saltem a Iohanne  
memorati LII. principes, qui imperatorem eligere con-  
sueuerint, & modo consenserint, sunt in fabulis. Fallor,  
aut loco LII. scripserat Iohannes III, aut IV. Tot forte  
consentientes electores Henricus repererit. Sed cona-  
tibus Sueuorum & pauciorum electorum statim obstitit  
Papa, contradixerunt Saxones. Hi non imperii tantum  
libertatem suspexere, sed simultaneae inuestiturae adpri-  
me fauerunt. Sic Sueuici conatus irriti facti. Imperator  
abstinit a singulari conuentione vrgenda. Vt vero  
moris est, rei inter paucos deliberatae actaeque vagi  
vanique rumores exierunt in publicum, & multa com-  
miniscendi largam scriptoribus dederunt copiam.

Quicquid rei est, quascunque condiciones obtulerit  
Henricus siue suis Suetis, siue & aliis principibus, sal-  
tem aliae non fuerunt, quam quas Geruafius memora-  
uit. Non agnatorum libera in feudis successio obtinu-  
it. Hanc fortassis more Gallorum Anglorumque Ger-  
manicis principibus fore gratiorem existimauit. Et  
sane ex illo tempore simultaneae inuestiturae non tanta  
extra Saxoniam in illustribus feudis cura fuisse legitur.  
(f) Quid Iohannes ignarus imperii feudorum formu-  
lae, contra Geruafium Germaniae status iuriumque sa-  
tis peritum scriptorem, promiscuas suas, quas narrat,  
suc-

---

(f) Commode istud contra Schilteri assertiones persequitur III.  
Gundlingius in *Gundl. P. III. art. 1. n. 18. seq.*

successiones defenderit? Nugas gerrasque puras putas  
 Iohannem videmus vendere. Foeminas in illustribus  
 feudis & reliquis, quotquot adiuncta haberent officia,  
 exclusas voluerant maiores, nec admissas siue Henricus,  
 siue alii principes per grauissimas causas tunc velle po-  
 tuerunt. (g) Ipsam masculorum liberiozem, nec adeo si-  
 multaneae inuestiturae adstrictam successionez non ni-  
 si principibus, si omnino, tunc ab Henrico oblatam esse,  
 scriptores quidam contendunt. Comites prorsus adstri-  
 ctioribus feudalibus iuribus tunc relictos esse, tradunt.  
 (h) Sed harum rerum decido nihil. Per superiores  
 coniecturas meas hisce posterioribus immorari nequeo.  
 Nec valde opus est de dubiae causae proprio statu dis-  
 quirere, cum in ceteris dubiis vnum id hoc loco certum  
 sit, quidquid actum fuerit, plane deinde abolitum, res-  
 que omnes veteri statui relictas esse.

Nempe omnes hoc doctores, qui dubiae rei memi-  
 nerunt, vno demum ore asseuerant, omnes conatus, pa-  
 ctiones atque conuentiones fuisse frustra. Quod si igi-  
 tur aliquid noui iuris in illustribus feudis constitutum  
 fuerit, id remissum, & veteres leges, quae per dignissi-  
 mas rationes istiusmodi feuda pactis & prouidentiae  
 maiorum reliquerunt, stabiles permanferunt. Tantum

B 2

ab-

- 
- (g) Ita censent, & si quid, sane vnam liberiozem masculorum suc-  
 cessionem ab Henrico VI, etiam tum concessam esse, ex opti-  
 mis coniecturis colligunt Eyben *disquis. de Tit. Nobilis, itemque*  
*de Feudo Solari*, & cum eo Itterus *de Feud. Imper. cap. XIV.*  
*n. 12.*
- (h) Quae sententia est Conringii *ad Lampadium* pag. 264. & Eybenii  
*loc. cit. p. 571.*

abest, vt ultra fidem inueniant, qui ex Henrici illo siue  
penitus conficto, siue vero, sed statim abolito priuilegio  
promiscuas & hereditarias in feudis imperii successio-  
nes factas esse somniarunt. Ipsa potius, quae in certo,  
si quid omnino hac in re, posita est, omnis de liberiori  
successione in feudis imperii stabilienda conuentionis  
abrogatio, nos nunc magis reddit certiores, libertatis  
successionum antiquam probamque constrictiorem mi-  
nime ad onus & incommodum, sed potius saniori parte  
principum rem agnoscente, ad decus & dignitatem se-  
renissimarum gentium pertinuisse. Cur intercessissent  
Saxones, si narratio ceteroquin vera est, quo minus  
vlla mutatio feudorum fieret, nisi omnino receptos suos  
mores iudicassent magis e re gentiumque suarum digni-  
tate esse? Si dixeris, noluerunt imperatoriam dignita-  
tem haereditariam fieri. Probe, inquam, mones, alte-  
ram contradictionis illam fortassis fuisse causam. In ea  
tamen mente sum, contradicturos illos etiam fuisse, si  
sola feudorum mutatio esset proposita. Cum aliae, vt  
hoc praeterea memorem, illustres familiae ex priuile-  
giis promiscuam successionem quandoque impetraue-  
rint, quis legit vnquam Saxonicos principes illam liber-  
tatem aperuisse? Nimirum dignitati suae magis consuli  
arbitrati sunt restrictis, quam permissis promiscuis suc-  
cessionibus. Quis dubitat, hoc vt iterum vrgeam, si  
vtior digniorque electoribus promiscua successio visa  
esset, a Carolo eos postulatueros fuisse, vt praeter alia  
insignia decora illius etiam libertas sibi concederetur?  
Quis ambigit concessam fore, si petiissent? Carolus stu-  
dia electorum miris artibus captabat, nihil adeoque iis,  
quod rogassent, denegaturus. Declinatio illius liberta-  
tis

tis fidum est indicium, minime illam visam esse dignitatem principum conuenientem. Quod Geruasius conditionem liberiorum successuum reiectam esse a Papa ob hanc etiam causam scribat, *quia permutatio beneficiorum damnosa fieri posset imperio*, metum praecipue respicit, vt admissa conditione illa nexus imperii magis conuelleretur. Si omnes prouinciae tunc plane factae essent hereditariae, quae deinceps occasio summa in imperium merita Misnensium, adde etiam Noribergensium principum compensandi reliqua fuisset imperio? Potentissima Saxonica gens digniora etiam immortalium meritorum, quibus sibi porro totum imperium deuinxit, ferret praemia, si ex priscis iustisque moribus semper recentiori aeuo actum esset. Praeterea non toti modo imperio, sed etiam singulis illustribus gentibus damnosam futuram illam, si plane admissa foret, feudorum permutationem, censuisse simul Papam, aequae per rationes varias a me productas videtur verosimile.

Stat modo iam firma praesumptio pro regulari masculina successione in feudis imperii. (i) Singularia gentium quarundam priuilegia sunt exceptiones a communi regula. Ipsa regula vero tantum abest, vt dignitati sum-

B 3

ma-

---

(i) Hanc vt alia taceam ante duo & quod excurrit secula Maximilianus Caesar contra Ludouicum XII. Gall. Regem praecipue depraedicauit, vt habetur apud Goldastum *Reichs-Handl.* p. 53. ibi: *Denn alle des Reichs belehrte Fürstenthum auf Manns- und kein Frauens Persohn faller etc.* Praeuidia imperii recentiora vulgo nota sunt. Numerum Doctorum hanc praesumptionem stabilientium videtis apud Iterum *de E. L. cap. XIV. n. n. pag. 719.*

marum domuum sit noxia, aut damnosa, vtue reliquam earum libertatem potestatemque imminuat, vt porius quam maxime illam ornet, & confirmet, simulque imperii stabiliendae maiestati adprime conueniat. Fateor propiora Longobardicis feudis praesumptione hac probata fieri feuda imperii. At quis non perpetuam in ipsa hac causa vtrorumque differentiam adhuc agnoscit? Ex aliis causis Longobardica communia feuda, & ex diuersissimis rationibus imperii feuda pro masculinis habenda esse constat. Ex diuersis istiusmodi causis diuersa etiam subnasci iura, est in aprico. Semper hoc teneo, doceoque, ne vnquam misceantur imperii feudorum atque communium beneficiorum iura. Quantumuis inter se optime nonnunquam conspirare videantur, latent tamen semper non paucae diuersitatis rationes. Caute agendum est, vbi Longobardica iura in patriorum iurium subsidium aduocamus, licet Landsässica tantum feuda sint. Cauendum ne communia subsidiaria iura in naturam priorum & primariorum iurium detorqueamus. Summa vero circumspectione praecipue tum demum opus est, quando imperii feuda consideramus: Abesse ab illorum iudicio Longobardica praecepta prorsus debent, nisi plane adpareat, idem in quibusdam causis illa velle, quod publicae imperii leges mandauerint. Tum illustrationis quandoque causa illas consuetudines posse laudari concedo, vim legis habere, non modo dubito, sed prorsus nego.

Hanc doctrinam hucusque sedulo in publicis commentationibus ad Ill. COCCII Hypomnemata Iuris feudalis auditoribus meis inculcaui. Vt publice repetere

tere eam, illustrisque quaestionis perbreui examine at-  
gerem atque illustrarem, mouit me laudabile Honora-  
tissimorum quorundam Commilitonum institutum,  
quod ex more indicare, & publice commendare visum  
est. Non sufficit illis, vt mecum feudalia argumenta  
sedulo pertractarent, doctrinamque egregiam quodam-  
modo imbiberent. Placuit potius addere doctrinae  
propriorum profectuum examen, solennes scilicet di-  
sputationes. Animus est in illis tum alia revocare sub  
examen, tum maxime de differentiis Longobardico-  
rum, & Landassicorum, praecipue vero imperii feu-  
dorum inquirere. Impendentur disputatorio huic ex-  
ercitio Horae a I. pomeridiana diei Mercurii. Singu-  
lis vero Hypomnematum titulis singulares disputatio-  
nes a nobis destinabuntur. Partiti inter se sunt sorte  
ducta respondentium & opponentium vices Viri Gene-  
rosissimus Nobilissimi, atque Doctissimi

**DN. CAROLVS GOTTLOB  
DE NÜSSLER,**

Equ. Sil. Infer.

**DN. IOHANN. LAVRENTIVS  
RHOVBEL,**

Hanouiensis.

**DN. GEORGIVS FRIDERICVS  
BEYER,**  
Lipsiensis.

DN.

DN. IOHANNES GOTTFRID  
KAVPISCH,  
Schvveinizia-Saxo.

DN. ALBERTVS GOTTLOB  
LEHMANN,  
Bischoffsvverda-Misn.

DN. FRIDERICVS GOTTLOB  
FRANCKE,  
Senfftenb. Misn.

DN. IOHANN. CHRISTIANVS  
SCHOTTE,  
Drefda-Misn.


Disputatorii exercitii facere initium Nonis Quintilibus  
decreuerunt, meque adeo, quem Praesidem Disputatio-  
num selegerunt, interprete, Honoratissimos Dominos  
Commilitones, iuris maxime studiosos, humanissime ro-  
gant atque inuitant, vt constitutis horis feudalibus di-  
squisitionibus frequentes intersint, & disputatorios  
actus honorifica praesentia reddant insigniores.  
P.P. Post. Kal. Jul. c1o 1000 XIX.

---

VITEMBERGAE,  
EX OFFICINA GERDESIANA.







VD 18

ULB Halle

3


000 654 957



TA-OL







2377

1719 17  
22

IACOBVS CAROLVS SPENER  
IVR. D. ET P. P.  
P V B L I C A S  
IN  
ILL. COCCEII  
HYPOMNEMATA  
IVRIS FEVDALIS  
DISPV TATIONES  
OFFICIOSISSIME  
INDICIT ET COMMENDAT.

